

puta *Samuelem*. R. *Samuelis* anima apparuit, non assumpto proprio corpore, sed in corpore aëreo: et sicut angeli, cum apparent, corpus sibi formant et aptant ex aëre, ut docet s. *Thomas* (1); sic etiam *Samuel* non corpus resumpsit proprium, quod iam extabuerat, sed aliud sibi finxit ex aliena materia. Atque haec, teste *Sanctio* (2), est communis sententia auctorum, ipsiusque *Abulensis* (3).

OPPON. VII. Fortassis nec verus, nec personatus (i. e. daemon speciem prophetae assumens) hic *Samuel* fuit, sed pythionissa vocem *Samuelis* est imitata, ceteraque omnia finxit, quaecumque contigisse hic leguntur. R. Id aperte adversatur sacrae narrationi, praesertim libro *Ecclesiastici* a nobis supra (4) citato. Praeterea mulieris intererat, ut viam longe aliam iniret, si decipere animum regem voluisset. Assentari enim debebat; eiusque liberalitatem praedictione prosperi eventus provocare, aut certe ambigue loqui, ne, si res aliter ac ab ipsa praedictae sunt, evenissent, iram et vindictam regis incurreret. Accedit, quod nec pythionissa, nec daemon ipse mortem *Saulis* et filiorum eius proxime securam certo praevidere potuerit. Unde verba illa: *Cras autem tu et filii tui mecum eritis*, non erant pythionissae, vel daemonis va-

Exod. c. 32, v. 4. israhelitae de vitulo aureo, qui erat unicus, dixerunt: *Hi sunt dii tui, Israël, qui te eduxerunt de terra Aegypti*. Sic etiam pythionissa his verbis: *Deos vidi ascendentes*, insinuat, eum, qui apparebat, tanto esse splendore, ut non aliquis ex hominum numero, sed Deus ipse esse videretur. Quod et *Saul* optime intellexit, cum in singulari numero rogat, *qualis est forma eius?* Et mulier quae relicto iam plurali numero respondet, *Vir senex ascendit amictus pallio*, nempe prophetico, quale dudum laceravit *Saul* I. Reg. c. 13, v. 27.

(1) In cap. 17 Matth.

ticinantis, sed *Samuelis* iussu Dei interitum impio regi denuntiantis.

Qui plura de tota hac quaestione, seu apparitione *Samuelis* coram rege *Saul* facta legere cupit consulat *Calmetum*, huiusque de eadem apparitione dissertationem, quam idem auctor in fronte sui in libros *Regum* commentarii posuit.

21. QUÆRES XIX. *An Saul sit aeternum damnatus?* R. Non desunt quidam patroni huius infelicis regis, censentes eum poenituisse, et esse salvatum. Hoc affirmant hebraei, praesertim *Rabbi Isaac* (5), qui *Saulis* fortitudinem, constantiam, bonamque mortem laudant. Ex christianis vero *Lyranus* dubitat, an *Saul* sit aeternum damnatus, vel fortassis salvatus. Similiter *Caesar Calini* (6), quamvis fateatur, non dari solidam rationem asserendi aeternam *Saulis* salutem, tamen multis probare conatur, eius damnationem non esse certam, cum ex ignorantia invincibili, iudicare potuerit sibi in iis circumstantiis licitum esse seipsum occidere, vel in extrema tristitia et perturbatione animi auxilio et perplexo regi sufficiens libertas ad mortaliter peccandum defuerit. Unde (infert memoratus auctor) *Saul*, si post apparitionem *Samuelis* ante mortem suam de consulta pythionissa, aliisque sceleribus suis rite poenituit, salvari potuit. Verum omnes pene ss. patres, alique doctores et interpretes asserunt, aut inclinant in eam sententiam, quod *Saul* sit aeternum

(2) Comment. in I. Reg. c. 28, v. 17, n. 38.

(3) Ibidem, q. 33.

(4) Num. 19.

(5) Apud *Rab. Azen*. l. 3., c. 33. Vide etiam hac de re *Calmet* comment. in I. Reg. c. 31, v. 4.

(6) In *Historia universali biblica*, seu *historica V. Testamenti enarratione ad ordinem temporis exacta*, lib. 4, cap. 27.

damnatus. Sic s. *Io. Chrysostomus* de *Saule* (1) expresse ait: *Nonne regno excussus est? Nonne miseranda morte periit una cum filio? Nonne ab omnibus vituperatur? et quod his gravius est, aeterna luit supplicia*. Similia habent s. *Ambrosius* (2), s. *Hieronymus* (3) et s. *Bernardus* (4) qui resurrecturum dicit *Saulem*, sed non ad vitam. Porro interpretes, nominatim *Tirinus* (5), ita ratiocinantur: scelera *Saulis* sunt certa, neque est vel levissima coniectura, qua eum de tot, tamque horrendis sceleribus poenitentiam egisse colligamus. Imo septuaginta interpretes (6) aperte dicunt: *καὶ ἀπέθανε Σαουλ ἐν τοῖς ἀνομίαις αὐτοῦ. mortuus est Saul in suis iniquitatibus*. Unde concludes, quid hac de re sit sentiendum.

22. QUÆRES XX. *Num credibile sit, quod David GLADIUM GOLIATHI tractare, eoque in secundo et pugnando uti potuerit, cum tamen Goliath ingens gigas altitudinis sex cubitorum et palmi* (1. Reg. 17, v. 4); *David autem adhuc puer seu adolescens* (ibidem v. 33 et 42) *tunc fuerit?* Priusquam respondeam, observo, quosdam deistas non capere, quomodo *David* immanem *Goliathi* machaeram tractare, eadem huius gigantis caput praecidere (7), aut in itineribus ac praeliis (8) illa uti po-

(1) Tom. 1 operum huius s. patris, homil. de *David* et *Saule*.

(2) In cap. 9 ad Rom.

(3) In *Ezechielem*, c. 20.

(4) Serm. 26 in Cant.

(5) Comment. in I. Reg. c. 31, v. 4.

(6) I. Paralip. c. 10, v. 13.

(7) I. Reg. c. 17, v. 51.

(8) Cum enim *David* fugiens a facie *Saulis* veniret ad *Achimelech* pontificem summum, et peteret gladium, nec alius nisi gladius *Goliathi* a *Davide* occisi adesset, iste *Davidi* maxime placuit, et prae aliis armis ad se defendendum et pugnandum aptissimus videbatur: *Dixit autem David ad Achimelech: Si (est hebraismus, et coniunctio si idem significat ac an) habes hic ad manum hastam*

tuerit. Quare staturam gigantis *sex cubitorum et palmi*, *Davidis* vero adolescentiam, quem ipse *Saul* (9) *puerum* tunc vocavit, cogitare nos iubent. Sed

R. *David* tum erat matura aetate, et corpore valido proceroque. Itaque potuit gladio gigantis, quamvis valde gravi ac longo expedite uti, nec incondite praecingi. Ostendo hanc assertionem per singulas partes. Inprimis *David* tum iam erat MATURA AETATE. Nam cum *Goliathum* sterneret, eique caput praecideret, iuxta *Calmetum* (10) duobus vel tribus supra viginti natus erat annos: dum vero *Saulem* fugiens venit in *Nobe* ad *Achimelech* sacerdotem, et gladium *Goliathi* ad usus suos repereret, iuxta cl. *Bullet* (11) erat circiter viginti et septem annorum. Neque obest, quod *Saul* eum adversus *Goliath* pugnaturum vocarit puerum: *puer es: hic autem vir bellator est ab adolescentia sua*. Nam *Saul Davidem* vocat puerum non aetate, sed usu et peritia rei militaris. Hinc puero statim opponit militem expertum et veteranum: *hic autem vir bellator est ab adolescentia sua*. Igitur non erat eo tempore *David* usque adeo puer, ut tractare arma non potuerit, et certamen subire, spectando eius aetatem. Ut enim ex

aut gladium? quia gladium meum et arma mea non tuli mecum. Sermo enim regis urgebat. Et dixit sacerdos: Ecce hic gladius Goliath philisthaei, quem percussisti in valle Terebinthi, est involutus pallio post Ephod; si istum vis tollere, tolle. Neque enim hic est alius absque eo. Et ait David: Non est huic alter similis, da mihi eum; I. Reg. c. 21, v. 8-10.

(9) I. Reg. c. 17, v. 33, ubi ita legitur: *Et ait Saul ad David: Non vales resistere philisthaeo isti, nec pugnare adversus eum; quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.*

(10) Comment. in I. Reg. c. 17, v. 33.

(11) Réponses critiques, tom. 3, n. 24. *Épée de Goliath.*

toto libro primo Regum constat, nil egit ab hoc tempore non virile; cum multa iam tum susceperit, peregeritque, quae virile corpus constantiamque desiderant; sed *puer* appellatur a rege, ut dixi, quia rudis erat in arte bellandi, cuius tunc studebat specimen reddere; quod *Saul* ex habitu illius coniecit pastoritio, a quo procul abesse solet usus et disciplina militaris. Ita *Sanctius* (1) cum aliis interpretibus. Ceterum aliunde constat, quod vox *puer* in s. Scriptura non semper eum, qui est in puerili aetate, sed servum, vel ad ministerium serviendi deputatum, vel eum qui solum comparative ad alium est aetate minor significet.

Praeterea *David* iam tum erat CORPÔRE VALIDO ET ROBUSTO, quia iam leonem et ursum interfecerat. Hinc quando *Saul* ad eum cum *Goliatho* congressurum dixit: *Non vales resistere philisthaeo isti - quia puer es*, ille imperterritus respondit: *et leonem et ursum interfeci ego servus tuus: erit igitur et philisthaeus hic incircumciscus, quasi unus ex eis* (2). Profecto, si *David* adhuc iuvenis tam valido et lacertoso fuit corpore, ut leonem et ursum iugularet, haud dubie etiam gigantes gladium tractare, eoque expedite uti potuerit; quod ulterius inde confirmatur quia in Palaestina antiquitus mos viguit, et fortassis iam tempore *Davidis* vigeat, ut iuvenes in levandis et movendis gravissimis ponderibus exercerentur. Audiamus hac de re testimonium s. *Hieronymi*, qui ipsemet in Palaestina fuit, et in commentario suo super *Zachariae* cap. 12, v. 3, ita scribit: « Mos est in urbibus Palaestinae,

(1) Comment. in I. Reg. c. 17, v. 55.

(2) I. Reg. c. 17, v. 56.

(3) Ibid. v. 58.

(4) I. Reg. c. 10, v. 25.

et usque hodie per omnem Iudaeam vetus consuetudo servatur, ut in viculis, oppidis et castellis rotundi ponantur lapides gravissimi ponderis, ad quos iuvenes exercere se soleant, et eos pro varietate virium sublevare, alii ad genua, alii ad humbilibum, alii ad humeros et caput, nonnulli super verticem rectis iunctisque manibus, magnitudinem virium demonstrantes, pondus extollant. »

Denique *David*, tum iam erat PROCERO CORPÔRE ita, ut gladio *Goliathi* non incondite praecingi potuerit. Nisi enim proceras fuisset staturae, *Saul* ipsum adversus *Goliath* pugnaturum non induisset vestimentis suis (3) *Saul*, inquam, qui ipsemet erat valde procerus; imo altior universo populo ab humero et sursum (4). At

DICES: Vestimenta et armaturam regiam *David* mox iterum deposuit dicens: *non possum sic incedere* (5): ergo vestimenta *Saulis* viri proceri erant *Davidi* adhuc adolescenti ullo modo accommodata, sed nimis ampla. R. Conc. ant. neg. cons. Quando *David* vestes et gladium *Saulis* deposuit, non dixit, se non posse sic incedere, quia vestes esseent nimis amplae, neque suo corpori quadrarent, sed solum dicebat: *non possum sic incedere, quia usum non habeo*, indicaturus nimirum, se non assuevisse eiusmodi armis, neque libere incedere posse gravatum tantum pondere, ac ferreo tegumento, velut vinculis constrictum. Ita *Tirinus* (6). Veritas huius responsionis magis patescit legenti totum contextum (7), qui ita sonat: « Et induit *Saul* *David* vestimentis suis, et imposuit galeam aeream super caput eius, et vestivit eum lorica. Ac-

(5) I. Reg. c. 17, v. 59.

(6) Comment. in I. Reg. c. 17, v. 55.

(7) I. Reg. c. 17, v. 58-61.

cinctus ergo *David* gladio eius super vestem suam, coepit tentare, si armatus posset incedere: non enim habebat consuetudinem sic (incedendi). Dixitque *David* ad *Saul*: Non possum sic incedere, quia non usum habeo. Et deposuit ea. Et tulit baculum suum quem semper habebat in manibus: et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, et misit eos in peram pastorem, quam habebat secum, et fundam manu tulit: et processit adversum philisthaeum.

23. QUÆRES XXI. Quomodo a Scriptura (I. Reg. 13, v. 14, et Actor. 13, v. 22) *David* cum veritate dici possit VIR SECUNDUM COR DEI; cum tamen praeter adulterium cum *Bethsabea*, et occisionem *Uriae*, etiam alia gravia delicta commiserit, ut cum in ammonitis (2. Reg. 12, vers. ult.) tanta crudelitate desaevit, ut super prostratos circumageret ferrata carpenta, et cultris, et serris, et aliis inusitatis tormentis miseros discruciet? Aut dum (I. Reg. 25, v. 34) universam familiam *Nabal* neci destinavit, et quae sunt plura huiusmodi? Vix credi potest, quam probrose delicta *Davidis* deistae, aliive revelatae religionis hostes exaggerent, ut s. Scripturae ac christianae religionis, quae *Davidem* virum secundum cor Dei appellant, auctoritatem deprimant. Teste cl. *Bullet* (1) solent primum enarrare peccata *Davidis*: deinde per ludibrium et ironiam addunt haec verba: *At is erat vir secundum cor Dei*. Teste autem cl. *Bergier* (2) huius furfuris homines (3) de *David* hunc in modum scribunt:

(1) Loc. cit. n. 52.

(2) Traité historique et dogmatique de la vraie religion, tom. 7, chap. 6, art. 2, § 2.

(3) Esprit du judaïsme, c. 3, *Morgan*, op. cit., tom. 1, p. 500; tom. 2, p. 88. Bible expliquée p. 524.

« Hunc tantopere aestimatum grasatorem, quem libri hebraeorum *Virum secundum cor Dei* appellant, et quem christiani hodieque tanquam exemplar regum considerant et dilaudant, nos cognovimus, esse praedonem, adulterum, latronem, monstrum crudelitatis, quod singulis ferme momenti atrocissima scelera perpetrabat. Vita ipsius ante et post conscensum ope sacerdotum solum nil aliud erat, quam continua series proditio, perfidiae, et malefactorum. Paucis: in tali homine non possumus amicum Dei, sed amicum sacerdotum, virum secundum cor istorum agnoscere. » En panegyricum, quem increduli sancto *Davidi* dicunt. Verum

R. Increduli ex una parte delicta *Davidis* nimium exaggerant, ut fuse et erudite ostendit cl. *Bergier* (4), et cum eo cl. *Weissenbach* (5): ex altera vero parte verba Scripturae (6) *Davidem* appellantis virum secundum cor Dei non intelligunt, aut perperam accipiunt. Ut enim ex ipsorum scriptis et verbis paulo ante memoratis patet, putant, vel fingunt, quasi *Vir secundum cor Dei* cit. loc. Scripturae significet virum, qui in omnibus prorsus actionibus suis Deo placere studet, omnisque gravioris peccati expers est. Verum iuxta ss. patres et celeberrimos interpretes verba illa Scripturae longe alium sensum habent. Tripliciter autem eadem exponi possunt. PRIMA EXPLICATIO est, *Davidem* fuisse virum secundum cor Dei qui fecerit omnes voluntates Dei, ut dicitur Actor. 13, v. 22; quia plerasque Dei voluntates fecit. Nam si in magno numero pauca deficiunt, uni-

(4) Loc. cit. § 2-9.

(5) Tom. 2 nova forma theologiae bibl. q. 17, pag. 67-75.

(6) I. Reg. c. 15, v. 14, item Actor. c. 15, v. 22.

verse aliquid dicitur fieri: et cum in magno cumulo v. g. hominum, unus alterve tantum deest, dicimus omnes adesse, ut *Sanctius* (1), et *Cornelius a Lap.* (2) recte observant. Sic hoc loco, quia *David* divina praecepta in corde abscondit, ne peccaret, eaque toto vitae tempore ut plurimum accuratissime servavit, etiamsi aliquando graviter offenderit, omnes tamen Dei voluntates ex Scripturae more fecisse, virque secundum cor Dei dici potest. Ad perpetuum ergo vitae tenorem respexisse videtur Dominus potius, quam ad unum vel alterum *Davidis* opus.

SECUNDA EXPOSITIO, quam etiam *Salmeron* (3), et *Lorinus* (4) adoptant, est s. *Augustini*, et cum prima ferme coincidit. Cum enim *Dulcitus* inter octo quaestiones hanc ipsam numero quintam proponeret: *Quare Deus Davidem tanquam virum secundum cor suum elegerit?* respondit s. doctor praevidis in *Davide* Deum sicut peccata, ita etiam veram eiusdem poenitentiam, ac proin propter hanc, aliaque multa bona opera hunc regem merito vocari virum secundum cor Dei. Verba s. *Augustini* (5) sunt: « Quæris . . . quare dixerit Dominus (Act. 13, v. 22), nimirum praescius futurorum, *elegi David secundum cor meum*; cum talia tantaque ipse homo commiserit. Quod quidem, si de ipso *David* . . . dictum intelligamus; magis quia Deus, praescius futurorum est, praevidit in eo tantam pietatem, tamque veracem poenitentiam, ut esset in eorum numero, de quibus ipse (psalm. 31,

(1) Comment. in I. Reg. c. 15, v. 14.

(2) Comment. in Act. c. 15, v. 22.

(3) Tom. 12, seu comment. in Act. Apost. tract. 57, mihi p. 248, edit. colon. an. 1604.

(4) Comment. in Act. c. 15, v. 22.

v. 1 et 2) dicit: *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Cum ergo praesciret eum Deus peccaturum, et peccata sua pia humilitate et sincera poenitentia deleturum, cur non diceret, *Inveni David secundum cor meum*; cui non erat imputaturus peccatum tam multa bona facienti, et cum tanta pietate viventi, et ipsa pietate pro peccatis suis sacrificium contriti spiritus offerenti? Propter haec omnia verissime dictum est, *Inveni David secundum cor meum*: quia licet secundum cor Dei non esset, quod ille peccavit; tamen secundum cor Dei fuit, quod pro peccatis suis congrua poenitentia satisfecit. Hoc solum ergo in illo secundum cor Dei non fuit, quod illi Deus non imputavit. Hoc itaque ablato, id est non imputato, quid remansit, nisi unde verissime diceretur, *Inveni David secundum cor meum?* » Hucusque s. *Augustinus*.

TERTIA EXPOSITIO, eaque iuxta *Sanctium* (6) et cl. *Bullet* (7) ad mentem s. Scripturae maxime accommodata est, quod *David* cit. loc. dicatur *Vir secundum cor Dei, omnes huius voluntates faciens*, non hoc sensu, quasi *David* omnem prorsus Dei voluntatem fecerit, sed solum illam omnem, quae ad regni, bellorumque administrationem pertinebat. Nam *Samuel* citato loco (nempe 1. Reg. 13, v. 14 quem locum etiam *Paulus* Actor. 13, v. 22 adducit) postquam *Sauli* exprobravit inobedientiam, quod contra mandatum Domini in absentia sua

(5) Tom. 4 operum s. *Augustini*, libro uno de octo *Dulciti* quaestionibus, quaestione quinta, quae in fine huius libri ponitur.

(6) Loc. cit.

(7) Loc. cit.

alienum ministerium usurpare ausus sit, et sacrificiis Deum populo conciliare voluerit, eidem denunciat, ab illo tanquam inobediente translatum esse regnum, aliumque regem, qui esset vir secundum cor Dei, iam esse destinatum. Verba *Samuelis* sunt: *Sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quaesivit Dominus sibi virum iuxta cor suum; et praecepit ei Dominus ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris, quae praecepit Dominus.* Eandem feralem sententiam propheta repetiit post alteram *Saulis* inobedientiam, dum hic, caesis amalecitis, contra mandatum Domini perpercit *Agag* regi, et melioribus iumentis. Ait enim tunc ad *Saul* (1): *Quia proiecisti sermonem Domini, et proiecit te Dominus, ne sis rex super Israël. . . Scidit Dominus regnum Israël a te hodie, et tradidit illud proximo suo meliori te.* Ex his omnibus patet, quod *Samuel*, vel potius Deus per os *Samuelis* opponat inobedientiae regis *Saul* obedientiam *Davidis* tanquam novi regis, qui specialia in publica gubernatione regni hebraeorum accepta a Deo mandata esset accurate ac constanter executurus. Erat nimirum Deus speciali modo supremus israelitarum dominus tanquam *populi sui electi*: rex illorum v. g. *Saul, David* etc. erat duntaxat Dei vicarius, qui tenebatur mandata Domini in administratione regni et bellorum exacte exsequi. Iam vero *Saul* in hac administratione mandata divina bis neglexit; qua inobedientia Deus offensus regnum ipsi abstulit, et in ducem populi sui alium virum elegit, qui longe aliam ac *Saul* regnum administrandi rationem habiturus, omnemque Dei voluntatem in gubernando regno fa-

(1) I. Reg. c. 15, v. 26 et 28.

cturus, sicque in regendo populo electo *Vir secundum cor Dei* futurus esset. Proinde videmus, citatis Scripturae locis sermonem esse de *Davide* ut rege, non ut homine privato. Unde haec verba: *Vir secundum cor Dei* non sunt approbatio omnium actionum et operum *Davidis*, sed solum sunt praedictio exacti studii, quo *David* omnem Dei voluntatem in gubernando hebraeorum regno executurus sit, praedictio, inquam, cui rei eventus omnino respondit: nam *David* omnes *Israëlis* hostes bello persecutus est, ac *israëlitas* in possessione terrae sanctae magis magisque stabilivit, gentesque vicinas subiugavit et tributarias fecit; scilicet *philisthaeos*, *moabitas*, *Adarezer* regem *Soba*, *Syriam* *Damasci*, *idumaeos*, eorumque spolia fecit anathemata, Deoque consecravit; faciebat quoque *David* iudicium et iustitiam omni populo, curavitque, ut cultus veri Dei in regno suo constanter floreret: prout haec omnia ss. literae partim in libro secundo Regum cap. 8, partim alibi de *Davide* testantur. Fuit is itaque in administratione regni, si-ve in explendo munere regis *Vir secundum cor Dei*, et specialia ipsi a Deo in publica gubernatione regni mandata imposita prompte et constanter executus est; quamvis fuerint etiam aliae Dei voluntates, a quibus recessit non semel *David*, exempli gratia committendo adulterium cum *Bersabee*, et ad id celandum adiungendo caedem *Uriae* etc.

CONFIRMATUR haec expositio sequenti paritate. Quando Deus summo pontifici *Heli* per prophetam denuntiavit, quod propter ipsius nimiam indulgentiam in liberos et negligentiam rite administrandi sacrificia pontificatum ab ipsius familia in aliam translaturus, aliumque sacerdotem magis fidelem sibi

electurus sit (1), *Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum et animam meam faciet*; per haec verba nil aliud significavit, quam quod sibi electurus sit sacerdotem, nempe *Sadoc* (2), qui longe aliter ac accuratius, ac *Heli* sacerdotale munus executurus (3), sicque SACERDOS SECUNDUM COR DEI futurus esset. Quare hoc loco duntaxat sermo est de fidele sacerdote, seu fidele administratione muneris sacerdotalis, non vero de omnibus aliis actionibus, quas hic sacerdos (4) extra functiones sacerdotales positurus esset; ferme sicut si dominus furacem servum e servitio dimittit, et ad eum dicit: *De alio servo magis fidele mihi providebo, qui sit secundum cor et voluntatem meam*, his verbis solum significatur, quod sibi electurus sit servum in praestando servitio magis fidelem, quidquid dein sit de aliis actionibus sive internis sive externis talis hominis, ad officium servi non pertinentibus. Ergo a pari, dum *Samuel* ad *Saulem* propter inobedientiam suam in regimine publico commissam regno privatum dixit: *Nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quaesivit sibi Dominus virum iuxta cor suum*, haec verba nil aliud significare censenda sunt, quam quod Deus alium regem in administratione regni hebraeorum divinis mandatis exacte obedientem elegerit; quidquid deinde sit de aliis actionibus talis regis ad gubernationem publicam regni non pertinentibus.

tionem publicam regni non pertinentibus.

At INQUIES: Nonne *David* non solum in obeundo munere regio, sed etiam in aliis actionibus suis (illis exceptis, quas Scriptura improbat) fuit vir Deo placens et sanctus? « Fuit enimvero, inquit cl. Bulet (5), sed hoc non evincitur praecise ex eo quod Deus *Davidem* (cit. l. nimirum I. Reg. c. 13, v. 14) appellavit virum secundum cor suum: hoc enim praeconium non privatam *Davidis* personam, sed eundem ut regem publicam regni et bellorum administrationem gerentem spectat. Sanctitas vero eiusdem ex multis aliis Scripturae locis abunde demonstratur. » Et profecto sanctitas *Davidis* simpliciter spectata, solide probatur ex effato Dei (6) ad *Salomonem* dicentis: « Si autem ambulaveris in viis meis, et custodieris praecepta mea et mandata mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos. » Aut ex illo Dei per *Abiam* prophetam ad *Ieroboam* dicentis (7): « Non fuisti sicut servus meus *David*, qui custodivit mandata mea, et secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo. » Aut ex illo, quod de pio *Iosia* Rege (8) scriptum est: « Fecitque quod placitum erat coram Domino, et ambulavit per omnes vias *David* patris sui; non declinavit ad dexteram, sive ad sinistram. » Taceo alios textus Scripturae sacrae, in quibus de poenitentia *Davidis*, aut de eius sanctitate sermo est (9).

deliquerit. Hoc enim dicendi nullam habemus rationem.

(5) Loc. cit. (6) III. Reg. c. 5, v. 14.

(7) III. Reg. c. 14, v. 8.

(8) IV. Reg. c. 22, v. 2.

(9) II. Reg. c. 12, v. 13; et ibid. c. 24, v. 17; item III. Reg. c. 11, v. 4. et ibid. c. 15, v. 3, 5, et 11; item IV. Reg. c. 18, v. 3.

(1) I. Reg. c. 2, v. 35.

(2) III. Reg. c. 2, v. 27 et 35.

(3) Et revera *Sadoc* longe aliter, quam *Heli* ministerium obiit pontificale; nam fidelem Deo ac templo navavit operam, neque aliter se in tanto munere praestando gessit, quam divina ab eo voluntas exigebat; prout *Sanctius* comment. in I. Reg. c. 2, v. 35, recte observat.

(4) Nolumus tamen ideo dicere, quod *Sadoc* in aliis actionibus unquam graviter

CAPUT II.

De libro II Regum.

24. QUARES XXII. *Quomodo concordet sermo amalecitarum* (2 Reg. 1, v. 10) *narrantis, se occidisse Saulem, cum illis Scripturae* (1 Reg. 31, v. 4 et 5) *verbis: DIXITQUE SAUL AD ARMIGERUM SUUM: EVAGINA GLADIUM TUUM, ET PERCUTE ME.... ET NOLUIT ARMIGER EIUS.... ARRIPUIT ITAQUE SAUL GLADIUM ET IRRUIT SUPER EUM. QUOD CUM VIDISSET ARMIGER EIUS, VIDELICET QUOD MORTUUS ESSET SAUL, IRRUIT ETIAM IPSE SUPER GLADIUM SUUM, ET MORTUUS EST CUM EO. Nam si Saul seipsum occidit, quomodo ab amalecita occidi potuit?* R. Cum plerisque interpretibus, illam narrationem iuvenis amalecitarum fuisse falsam; cum ipse *Saulem* non occiderit, sed duntaxat a se occisum fuisse finxerit, putans se tali modo *Davidi* placiturum, quia *Saul* erat hostis *Davidis*. Porro Scriptura, dum hoc mendacium illius amalecitarum narrat, non mentitur, sed verum dicit. Aliud enim est mentiri, aliud narrare, quod alius quispiam mentitus sit. Dixi, quod iuvenis ille amalecita mentitus sit. *Saulem* enim ex suo ipsius vulnere interiisse, loquuntur clara Scripturae verba in hac ipsa obiectione citata. Neque prius voluit armiger *Saulis* se quoque interficere quam vidisset iam mortuum *Saulem* (1): neque unquam permisisset armiger manu vilis amalecitarum regem suum occidi. Ita *Theodoretus*, *Abulensis*, *Lyranus*, *Serarius*, *Sanctius*, *Tirinus* et alii.

At INQUIES: Saltem *David* peccavit, et crudelis fuit, quod iuvenem hunc amalecitam nuntium mortis *Saul* e vestigio interfici iusserit,

) I. Reg. c. 51, v. 4 et 5.

nullo ipsi relicto spatio temporis agendi poenitentiam, et se ad mortem disponendi. Nam percepto hoc nuntio, *vocavit David unum de pueris suis*, i. e. iuvenem de satellitio suo, et ait ad eum: *Accedens irruet in eum. Qui percussit illum, et mortuus est* (2). R. Inprimis *David* non peccavit occidendo hunc amalecitam. Habuit enim hanc potestatem quia sciebat post mortem *Saulis* regnum ad se pertinere ex dispositione Dei. Ideo enim in regem unctus erat a *Samuele*, ut *Sauli* a Deo reprobato (vel adhuc vivo, ut volunt nonnulli, vel potius morienti) in regno succederet. Fuit etiam IUSTA CAUSA OCCIDENDI, tum quia Deus omnes amalecitas occidi iussit (3), tum quia hic ipse amalecita fassus est, se occidisse unctum Domini, nempe *Saulem*. Unde *David*, antequam illum interfici iuberet, ad eum dixit: *Quare non timuisti mittere manum tuam ut occideres Christum* (i. e. unctum) *Domini*? Quod autem eidem non reliquerit spatium poenitentiae, ex Scripturae verbis erui non potest. Quamvis enim sacer textus de concessio spatio temporis ad poenitendum nihil dicat, hoc tamen concessum esse non negat, et aliunde scimus, quod Scriptura soleat esse verborum parcissima, et in recensendis factis historicis saepe aliqua adiuncta omittere, quae reapse contigerunt. Imo si legatur totus contextus, non vana videtur esse suspicio, inter narrationem illius amalecitarum de morte *Saulis*, et eiusdem nuntii caedem, notabile temporis intervalum interpositum fuisse, nam immediate post illam narrationem amalecitarum describitur luctus *Davidis* de morte *Saulis*: dein primum subiungitur interfectio amalecitarum hoc

(2) II. Reg. c. 4, v. 15.

(3) I. Reg. c. 15, v. 3.

modo: « Ait adolescens (*amalecita*), qui nuntiabat ei..... occidi illum..... et tuli diadema, quod erat in capite eius, et armillam de brachio illius, et attuli ad te dominum meum huc. Apprehendens autem David vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo planxerunt, et fleverunt, et ieiunaverunt usque ad vesperam..... Et ait ad eum (*amalecitam*) David: Quare non timuisti mittere manum tuam ut occideres Christum Domini? vocansque David unum de pueris suis, ait: Accedens irruere in eum. Qui percussit illum, et mortuus est. » Dejn etiamsi ponamus, *Davidem* iussisse ut e vestigio occidatur *amalecita* ille, id fecisse censendus est, quia nunquam aut vix unquam eiusmodi infideles convertuntur ad veram fidem, adeoque nulla probabilis spes erat, hunc alienigenam, etiamsi ei longius tempus se praeparandi ad mortem concederetur, veram fidem et salutem consecuturum.

25. QUÆRES XXIII. Quo sensu Deus (2 Reg. 7, v. 15) de Salomone dicat: MISERICORDIAM MEAM NON AUFERAM AB EO: cum tamen Salomon probabiliter aeternum perierit? R. Duplicem huius nodi dari solutionem. Multi, nēque ex levibus argumentis, defendunt, *Salomonem* egisse poenitentiam, et factum esse salvum; prout praeter plures alios *Menochius* (1) et *Widenhofer* (2) defendunt, et nos ipsi num. 52 et 53, quaest. I. defendemus: alii qui negant, aut iudicium suum de salute *Salomonis* (3) suspendunt, poterunt cum *Cornelio a Lap.* (4) respondere, cit. loc. (nempe 2 Reg. 7, v. 15) non agi de aeterna salute,

(1) Centuria 1, c. 29.

(2) Comment. in III. Reg. c. 11, v. 4.

(3) Vide *Calmet* comment. in III. Reg. c. 11, v. 42.

sed de regno *Salomonis* perpetuando in eiusdem posteros, quamdiu hebraeorum regnum duraturum erat; qua ratione regnum *Saulis* perpetuatum non fuit.

26. QUÆRES XXIV. Quo sensu (2 Reg. 8, v. 18) dici possit: FILII DAVID SACERDOTES ERANT; cum tamen sacerdotes non ex tribu Iuda, ex qua David erat, sed tantum ex tribu Levi fuerint? R. Equidem vox hebraica כהן *Cohen*, quae cit. loc. in textu hebraico ponitur, fere semper sacerdotem proprie dictum significat, subinde tamen usurpatur pro principe seu magnate, qui apud regem tali fere est familiaritate et ministerio, quali sacerdos apud Deum: unde familiares et primi ministri regis vocantur subinde sacerdotes. Et hoc sensu filii *Davidis* loc. cit. dicuntur fuisse SACERDOTES, i. e. aulae principes. Et revera in textu graeco LXX interpretum hoc loco vocantur ἀρχαὶ AULARCHAE i. e. principes, paraphrasi chaldaica MAGNATES hoc modo: Et filii David magnates erant. Et iterum alibi in Scriptura (5) iidem appellantur PRIMI AD MANUM REGIS his verbis: Porro filii David, primi ad manum regis.

27. QUÆRES XXV. Quomodo haec verba (II. Reg. 10, v. 18): OCCIDIT DAVID DE SYRIS SEPTINGENTOS CURRUS, ET QUADRAGINTA MILLIA EQUITUM, cum illis verbis (I. Paral. 19, v. 18): ET INTERFECIT DAVID DE SYRIS SEPTEN MILLIA CURRUUM ET QUADRAGINTA MILLIA PEDITUM, conciliari possint; cum longe aliud sint SEPTINGENTI CURRUS, quam SEPTEN MILLIA CURRUUM: item aliud QUADRAGINTA MILLIA EQUITUM, quam QUADRAGINTA MILLIA PEDITUM? R. Liber *Paralipomenon*, ut patet ex hoc ipso nomine (6) huius libri,

(4) Comment. in II. Reg. c. 7, v. 19.

(5) I. Paralip. c. 18, v. 17.

(6) Nam ideo hic liber s. Scripturae a 70 interpretibus Παράλειπομένων, id est re-

supplet ea quae in libris Regum omissa sunt: illa vero, quae in iisdem dicta sunt obscurius, explicat clarius. Ergo quod in secundo libro Regum, loc. cit. dicuntur occisi 700 currus, intellige milites pugnantes e curribus (1); milites enim occiduntur, non currus. Unde id confirmat liber *Paralip.*, dicens interfecit septem millia curruum, id est, septem millia militum pugnantium e curribus. Erant igitur currus septingenti, sed militum septem millia erant: quilibet enim currus continebat decem milites.

Illud difficilius, quia in libro secundo Regum loc. cit. quadraginta equitum millia dicuntur occisa; in libro autem *Paralip.* quadraginta millia peditum. Sed est dicendum, neque in libro Regum, neque in libro *Paralipomenon*, omnia fuisse numerata. Aliquid enim omissum est in libro Regum, quod addidit liber *Paralipomenon*; cuius, ut paulo ante dixi, id est praecipuum iuxta sui nominis etymologiam, ut omissa adiciat; quare addidit peditum quadraginta millia, quod omissum erat in libris Regum; neque equitum meminit, quia de illorum numero iam in libris Regum disertis verbis actum est. Quare in illo bello universim de syris tam peditum quam equitum caesa sunt octoginta millia, praeter septem millia pugnantium e curribus. Ita *Abulensis*, *Sanctius*, *Cornelius a Lap.*, et alii.

28. QUÆRES XXVI. An David a crudelitate excusari possit, dum (II. Reg. 12, v. 31; item I. Paralip. 20, v. 3) super cives expugnatae urbis *Rabbath* CIRCUMEGIT FERRATA

lictorum, sive residuorum, teste s. Hieronymo, epist. ad *Domnionem* inscriptus est, quia ea, quae in libris Regum omissa sunt, supplet et historice recenset.

(1) Nimirum ii, qui in curribus vehabantur, hic dicuntur currus per meto-

CARPENTA, sicque EOS SERRAVIT, ET CULTRIS DIVISIT? R. Variæ sunt variorum hac de re sententiae. *Bayle* (2), postquam modo citatum Scripturae locum recitavit, addit haec verba: « Potestne negari quod haec ratio bellandi vituperanda sit? Nonne turcae et barbari plus humanitatis habent? » Auctor *Dictionarii philosophici* odiosam hanc annotationem a *Bayle* factam confirmat, hunc in modum cavillando: *David* devincit regnum ammonitarum: expugnat urbem vel oppidum *Rabbath*; omnes incolas extraordinariis tormentis occidi iubet; dissecantur, lacerantur ferratis carpentis; comburuntur in fornacibus laterariis. Profecto nobilis et generosa bellandi ratio. » *Sanctius* (3), et *Tirinus* (4) censent, *Davidem* tam crudele factum patrasse eo tempore, quo adhuc haerebat in luto adulterii *Bethsabee* et homicidii *Uriae*, ac nondum poenituerat de tantis sceleribus. Solent enim peccatores, quamdiu non resipiscunt, ex uno in aliud scelus ruere, et magis magisque sordescere in dies, ut docent theologi passim, et ipsa experientia. Atque ita, inquirunt, enormis illa saevitia fuit appendix quaedam sermonis, seu historiae *Uriae*, qua speciatim peccasse *Davidem*, Scriptura (5) dicit. Iterum alii, et quidem plures hodie defendunt, *textum hebraicum* loc. cit. probe ponderatum, nil aliud dicere, quam ammonitas a *Davide* damnatos esse ad saxa et marmorâ ferris secanda, ad trahendas ferreas certi generis trahas, ad ligna securibus findenda, lateresque faciendos, in quibus

nymiam, quae rem continentem ponit prore contenta.

(2) In *Diction.* art. *David*.

(3) Comment. in II. Reg. c. 12, v. 26.

(4) Comment. in I. Paralip. c. 20, v. 3.

(5) III. Reg. c. 15, v. 5.

omnibus nulla apparet saevitia aut crudelitas in hostes devictos. Verum nolim hanc ultimam explicationem adoptare.

Sed ex omnibus, quas hac de re inveni, opinionibus mihi praeplicet sententia *Calmeti*, qui censet, *Davidem*, quem s. Scriptura tanquam virum secundum cor Dei (1), omnibusque praeceptis divinis, (*excepto sermone Uriae Hethaei*) obediente (2) laudat, non facile debere argui nimiae in ammonitas saevitiae, cum Deus in s. Scriptura nullibi hoc factum improbet, et variae potuerint esse causae, quamvis nobis non sat cognitae, ob quas *David* iure potuerit in ammonitas tam severe animadvertere. Verba laudati interpretis (3) sunt haec: « Verum haud probabilitate vacat, *David* has ideo poenas de illis sumpsisse, quod iidem similiter in captivos hebraeos desaeviré consueverant. Si ammonitae ex acie victores discessissent, crudelius adhuc fortasse eos cruciatibus enecassent. Non fugit qua impotentia *Naas* ammonitarum rex viris labes Galaad deditionem molientibus responderit; dixit enim, se ea tantum conditione proposita in deditionem accepturum fuisse, ut cuilibet dexterum oculum erueret (4). *Amos* huic populo exprobrat, eoquod praegnantium mulierum alvum secuissent, foetus illarum interfecuri, illudque in bellis, ubi de finium dilatatione tantummodo

(1) I. Reg. c. 15, v. 14.

(2) III. Reg. c. 15, v. 5, ubi dicitur: *Eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, et non declinasset ab omnibus, quae praeceperat ei cunctis diebus vitae suae, excepto sermone Uriae Hethaei.*

(3) Comment. in II. Reg. c. 12, v. 51.

(4) I. Reg. c. 11, v. 2, ubi legitur: *Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum foedus, ut etiam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israël.*

(5) *Amos* c. 1, v. 15, Haec dicit Do-

agebatur (5). Supponendum est, *David* hac in re temporum illorum communes belli leges secutum fuisse, vel ammonitas praecedentibus iniuriis, quae quidem latent, id supplicii genus fuisse promeritos. Id autem certum est, a Scriptura *Davidem* hac de re nusquam redargui, imo illam palam testari, praeter *Uriae* factum, *Davidem* omni culpa vacasse (6). Non igitur temere damnandum est, quod non satis constat, ut certum exactumque iudicium ferre possimus. » Hucusque *Calmetus*.

29. QUARES XXVII. Num credibile sit, quod in Scriptura (II. Reg. 12, v. 30; item I. Paralip. 20, v. 2) narratur, nimirum *Davidem coronam regis ammonitarum tulisse de capite eius, et eandem, licet ponderaverit talentum auri, id est, 125 libras romanas* (7) imposuisse capiti suo? Quis enim credat 125 librarum coronam potuisse ab ammonitarum rege, et dein a *Davide* in capite gestari? R. Duplex datur ab interpretibus ad solvendum hoc dubium responsio. PRIMA est *Cornelii a Lap.* dicentis, hanc fuisse coronam idoli ammonitarum, quod habebat formam מלך *melech*, id est, regis: *Davidem* autem sibi ex hac corona fecisse diadema, puta ex parte eius, reliquum vero auri eiusdem coronae in alia templi vel palatii sui ornamenta distribuisse. At-

minus: Super tribus sceleribus filiorum *Ammon*, et super quatuor non convertam eum; eoquod dissecuerit praegnantem Galaad ad dilatandum terminum suum.

(6) III. Reg. c. 15, v. 5.

(7) Vide *Tirinum* comment. in I. Paralip. c. 20, v. 2, aut *Cornelium a Lap.* tractat. de mensuris et ponderibus hebraeorum, graecorum, romanorum et hispanorum, § 1, mihi p. 1055. Habet autem laudatus interpres hunc tractatum in fine sui commentarii in Pentateuchum.

que huic responsioni videtur favere liber primus Paralip. loc. cit., ubi ita dicitur: *Tulit David coronam Melchom de capite eius, et invenit in ea auri pondo talentum, et pretiosissimas gemmas, fecitque sibi inde diadema.*

Verum melior mihi videtur ALTE-RA responsio, quae est *Tirini*, aliorumque dicentium, neque regem ammonitarum, neque *Davidem* hanc coronam gestasse in capite, sed supra utriusque caput alligatam vel suspensam fuisse in throno et conopaeo regio, ut capiti sedentis in throno iugiter immineret, quod fante ipso *Cornelio a Lapide*, sat est verisimile. Et certe apud veteres coronae tales non erant infrequentes. Sic *Athenaeus* (1) memorat coronam auream ambitu cubitorum octoginta, et aliam cubitorum sedecim, aliam altitudine duorum cubitorum, ac denique alias nonnullas cubitorum quatuor aut quinque. Et *Beniamin Tudelensis* narrat de *Comneno* imperatore, suspendisse illum supra solium suum coronam auream pretiosissimis gemmis distinctam (2). Acedit, quod iuxta hanc secundam responsionem necesse non sit dicere quod corona illa apud ammonitas non fuerit corona regis ipsorum, sed idoli formam regis praeseferentis, et ideo *Melchom* dicti; cum tamen graves interpretes, *Abulensis* (3), et *Sanctius* (4) expresse contrarium sentiant. Verba *Sanctii* loc. cit. sunt ista: « Ubi hoc loco (nempe II. Reg. 12, v. 30) vulgatus (puta interpres) legit *regis eorum*, libro primo Paralip. cap. 20, v. 2, idem legit *Mel-*

(1) Lib. 5, c. 8.

(2) Vide *Calmet* commentar. in II. Reg. c. 12, v. 50.

(3) Quaest. 29.

(4) Comment. in II. Reg. c. 12, v. 50.

(5) Nam מלך *melech* significat Rex. Inde est, quod d. de *Voltaire* *Davidem* per

chom, quod nomen est idoli. Quare non videtur diadema fuisse regis ammonitarum, sed ammonitarum idoli; id quod nonnulli putant. Sed dicendum est, utroque loco coronam esse regis; nam idem est utrobique hebraicum nomen; et sane *Melchom*, sive *Malcham*, quod est in hebraico, idem valet, quod *regis eorum* (5); noster autem interpretis modo nomen ipsum peregrinum relinquit (nimirum I. Paralip. 20, v. 2) modo illius tradit significationem (nempe II. Reg. 12, v. 30). »

30. QUARES XXVIII. Num credibile sit quod (II. Reg. 14, v. 26) scriptum est: PONDERABAT ABSALOM (quotannis) CAPILLOS CAPITIS SUI DUCENTIS SICLIS, i. e. octo libris romanis cum triente; cum tamen capillis unius hominis non possit anniversaria tonsione tantum ponderis inesse? R. Equidem quaestio haec magnis obsepta est difficultatibus. Nobis sufficit propter ipsam rei obscuritatem nihil in praeiudicium sacrorum librorum ex hoc loco erui posse. Ut tamen, quae verisimiliora hac de re interpretes in medium profert, lectori inticemus, duas eorum praecipuas et diversas huius rei explicationes recensemus. PRIMA est d. *Ioannis Pelletier* (6) (cuius hac in re opinionem secutus est *Calmet* (7)) asserentis, pondus illorum 200 siclorum non fuisse hebraicum, sed babilonicum, quod multo minus est pondere hebraeo; neque solos detonsos capillos, sed una cum remanentibus capillis in capite habuisse pondus ducentorum siclorum. Scriptura enim non ait,

ludibrium iudaicum *Melk* vel *Melch* appellat.

(6) Vide huius epistolam ad religiosum amicam suam, in diario trivultensi ad annum 1702, mense augusto, p. 175.

(7) Comment. in II. Reg. 14, v. 26.